

2004 TSJCL SIGHT RECITATION

Level II

The Outstanding Virtues and Vices of Alcibiades

Alcibiadēs, Clīniae fīlius, Athēniēnsis. In hōc nātūra quid efficere possit vidētur experta; cōnstat enim inter omnēs, quī dē eō memoriae prōdidērunt, nihil illō fuisse excellentius vel in vitiīs vel in virtūtibus. Nātus in amplissimā cīvitāte summō genere, omnium aetātis suae multō fōrmōsissimus, ad omnēs rēs aptus cōsilīque plēnus (namque imperātor fuit summus et marī et terrā) disertus, ut in prīmīs dīcendō valēret, quod tanta erat commendātiō ōris atque ōrātiōnis, ut nēmō eī posset resistere; dīves; cum tempus posceret, labōriōsus, patiēns; līberālis, splendidus nōn minus in vītā quam vīctū; affābilis, blandus, temporibus callidissimē serviēns; īdem, simul ac sē remīserat neque causa suberat quā rē animī labōrem perferret, lūxuriōsus, dissolūtus, intemperāns reperiēbātur, ut omnēs admīrārentur in ūnō homine tantam esse dissimilitūdinem tamque dīversam nātūram.